tate, liberos prorsus à votorum obligatione evadere, non per dispensationem, irritationem, aut commutationem, sed quia, dum emittuntur juxta Societatis constitutiones, imbibitam habent conditionem, dum Societas eos retinuerit, ut *n.*66. probabimus; atque ita cùm eos expulerit, cessat eorum obligatio, non quasi Generalis relaxet vota, aut in eis dispenset, sed quia tollit conditionem, sine qua ea vota non subsistunt; ut probavimus *lib.*4. *c.*24. *num.*11. sicut habens votum ingrediendi religionem aliquam in particulari, si in eam non admittatur patiens in perpetuum repulsum, manet liber à voto, non quòd fuit irritum, commutatum, aut in eo dispensatum, sed quia religio, à qua ejus executio pendebat, illum admittere renuit. Ita vota biennii, vel coadjutorum formatorum desinunt obligare per expulsionem absque irritatione, dispensatione, vel commutatione, ex hoc quod Societas non vult eos retinere; unde ea vota sunt secundùm quid conditionalia: &, ut diximus, eodem modo, sub eademque forma emittuntur vota aliquando à novitiis volentibus ea ex devotione emittere, ut constat ex 3. *p. constitutionum c.*1. *lit. T*, & *p.*5. *c.*4. *lit. G*. Quare similiter cessant per legitimam à Societate expulsionem.

63 Dum autem dicimus vota hæc cessare per legitimam expulsionem, intelligitur quando ea juxta Societatis formam emisserunt. Si enim in Societate emisissent ea vota non juxta formulam votorum ipsius, manifestum est, ratione repulsus à Societate eos non manere liberos, ut constat ex 2. *p. constit. c.*4. §.5. Societas enim, cùm expellit aliquem*, tamen reddit liberum à votis secundùm ipsius formam emissis, quia hæc vota habent tacitam conditionem, nisi expellatur; reliqua verò non, sed sunt merè absoluta. Quare si fuit votum perpetuæ perseverantiæ in Societate, ut expellatur, judicandum est ac de illo, qui vovit religionem, ac perseverantiam in illa, & postea expellitur, de quo diximus *lib.*4. *cap.*6. *num.*106. de reliquis autem votis spectandum est, an ea obligaverint perseverantiæ in Societate. Tunc enim quando ita à Societate expellitur, ut non teneatur ad illam redire juxta dicta eo *n.*106. non tenebitur ad ea vota, quia cessante obligatione principali, cessat accessoria; & in dubio hanc esse intentionem crederem illius, qui hæc vovit se in Societate servaturum, imò & illius qui intra Societatem hæc vovit, nec meminit, an suam intentionem restrinxerit ad ea in Societate servanda, quia rarissimè paupertas, & obedientia voventur in sæculo, cum difficillimè in eo servari possint; & quamvis castitas promitti soleat in sæculo, at non sola promittitur in hoc eventu, sed una cum paupertate, & obedientia. Præterea, quia communis promittentium hæc ex sua devotione in religione mens est, dum in religione perseverant; & ita à communiter accidentibus hæc mens in dubio præsumitur.

64 Nec injustitia aliqua in hoc reperitur; quod apertè constat, cùm Sedes Apostolica & *Trident. sess.*25. *de regular. c.*16. hoc Societatis institutum approbaverint: ac proinde in re maximè ad mores spectante errassent, si injustitia in his votis inveniretur. Ratio autem, cur injustitia non inveniatur, ea est, quia scienti, & volenti injuria irrogari nequit, *regular. scienti, de regul. jur. in* 6. at emittentes prædicta vota norunt eam conditionem; nam ipsis traditur antea legendum totum Societatis institutum & biennio probationis considerandum, ut habetur *in constitut. in examine c.* 1. §.13. *l. constit. c.*4. §.5. & specialiter hic punctus eis proponitur, ut habetur *in examine c.*6. §. 8. *lit. A*. Quare cùm liberè eam scientes conditionem admittant, nulla est injuria, eo vel maximè quod quilibet suæ privatæ utilitati valeat renunciare, *c. ad Apostol. de regul.* Deinde, quia in multis contractibus ea inæqualitas reperitur, jure sic ex justis causis disponente, ut si pubes sponsalia cum impubere contrahat, pubes nunquam resilire potest; id autem licet impuberi, cùm primum pubertatem adeptus fuerit, ut constat ex *c. de illis* 1. *vers. muliet, de desponsat. impuberum*. Similiter si major cum minore contractum ineat absque tutoris auctoritate, soli minori reclamare permissum est *leg. non eo minus* C. *de procur.* & minor cum majori contrahens beneficio restitutionis adjuvari potest, quo tamen major caret. Si ergo favore minoris ætatis, & ob causas levioris momenti potest jure hæc inæqualitas constitui, & cuidam parti libertas recedendi à contractu concedi, ea denegata alteri, cur eadem inæqualitas constitui non poterit favore religionis ob causas maximi momenti, quales sunt, ne religio, quæ magnis, & difficilibus Ecclesiæ ministeriis dicatur, patiatur detrimentum retentis in ea personis, quæ scandalo sint, & bonum ejus nomen obscurent? Deinde, quia hæc ratione religiosi hi facilius in officio suo continebuntur, nitenturque progressus in virtutibus facere, dum vident secus facientes posse dimitti. Præterea, quia in aliarum quoque religionum professis similis inæqualitas in contractu per professionem emisso reperitur; Nam ipsi nunquam possunt resilire; at religio potest ipsos, si contumaces, incorrigibilesque sint, expellere; imò aliquo modo major inæqualitas reperitur: nam hi expulsi à Societate manent omnino à votorum obligatione liberi, & pœnitus sui juris, ac si numquam vovissent; at professi cujuscumque religionis, quantumvis expulsi, manent voti ligati, cum tamen religio non teneatur eos alere, ac eos tamquam membra putrida expulerit, Tandem, quia licet tali voventi non obligetur Societas ex ratione votorum, obligatur tamen ex suis constitutionibus ad illum retinendum, neque dimittere valet, nisi justa de causa, ut dicemus *nn.* 86. quæ obligatio fortissima est, & multò facilius est particularem à debito deficere, quàm Generalem Societatis, cui soli jus expellendi competit. Et hinc solvitur objectio posita *n.*60. in argumento. Ad primum, & tertium constat ex dictis *n.*61. & 62. *suppositione* 1. & 2.

65 Secunda difficultas est, an religiosi Societatis solis biennii votis, aut coadjutorum formatorum astricti, aut votis novitiatus tempore emissis juxta formam Societatis, qui pravis suis moribus data opera repulsum à religione procurant, tuti maneant? Et videntur tuti manere, quia 2. *p. constit. c.*4. §. 6. dicitur, recedentem sponte sua à Societate, esse dimittendum, si redeat ad Societatem absque sufficientibus pœnitentiæ signis, & vera perseverandi voluntate; & paulò ante *c.*2. §.4. dictum fuerat, causam dimittendi è Societate esse, si quis nequeat, vel nolit proprium suum judicium infringere. Ecce igitur censetur legitimè dimissus à Societate, qui intendens directè fugere à Societate discedit, & qui non vult infringere suum judicium, cùm tamen *in d. c.* §. 4. dictum sit, ejusmodi homines liberos manere à votis post dimissionem; & Pontifices, qui Societatis institutum approbarunt, eo ipso concessere hanc facultatem relaxandi, in quantum opus est, ad omnes scrupulos auferendos. Item, quia *par.*3. *c.*4. *lit. B*, dicitur esse Societatis eos dimittere; quod si acciderit, eos manere liberos ab omni votorum obligatione. Ergo quoties Societas jure dimittit, manet alter verè liber. At in hoc casu propter illius defectus jure Societas dimittit. Item, quia dimissio est actus præcisè se tenens ex parte dimittentis, nullatenus ad id requisito præcisè, & ex natura rei concursu dimissi, nisi per modum objecti, circa quod est dimissio. Ergo dimissio, quæ est justa, & legitima ex parte dimittentis, & versatur circa hominem dimissione dignum, est simpliciter, & absolutè legitima; & sic simpliciter votorum obligatione liberat.

66 At credo eos non liberari votorum obligatione, sed teneri ad impedimenta per malitiam apposita auferenda, & ad se offerendum religioni ad ejus ingressum, si superiores eum admittere velint; quod satis constat ex his, quæ diximus *lib.*4. *c.*25. *nn.*47. ubi ex communi Doctorum sententia probavimus non liberari voti conditionalis obligatione, qui data opera nititur conditionem non impleri, ut liber evadat; sicut etiam qui promisit Xenodochio ministrare, non satisfaciet voto, si data opera malè serviens, resque illius dispendens, dimissionem extorserit. Secundò, quia non minus hic obligatur ad religionem ex parte sua, quàm si absolutè, & absque ea conditione voveret. Conditio enim illa non adjicitur ad majorem ipsius voventis libertatem, sed ut religioni liberum sit ipsum dimittere, si ineptus ipsi videatur. At si nulla conditione id votum emissum esset: hic liber non maneret: ergo nec ea conditione adjecta, cùm non minus ea apposita astringatur, quàm non apposita. Tertiò, quia nulla condonatio fraudibus, & injuriis extorta liberat extorquentem, sed tenetur rem in pristinum statum revocare. Cum ergo illa votorum remissio per repulsum à Societate, non sit libera, sed fraudibus extorta, non liberabit expulsum, donec mutatis moribus, veritatque detecta nitantur iterum admitti. Nec obstant in contrarium adducta, quia ea constitutionum loca tantùm probant Societati integrum esse ob eas causas rebelles illos dimittere; at non probant eos manere liberos, quippe non liberantur, nisi quando ex parte Societatis expulsio est voluntaria, qualis non est in hoc casu, sed per malitiam extorta. Atque ita decrevit Congregatio Generalis *decreto* 18. §. 4. cujus verba *nu.*27. referemus, ubi eadem in illos statuit, quæ in eos, qui fictis causis dimissionem extorquent, de quibus agemus *eod. n.*72. Nec obstat etiam secunda ratio, quia licèt dimissio illa se teneat ex parte dimittentis; at cùm debeat esse voluntaria, oportet ut sit legitima, ne dimissus extorqueat illam per malitiam, & fraudes. Et ita docet *Leonardus lib.*2. *de just. c.*40. *dub.*15. *à nu.*118. *usque ad* 171. & pro hac parte sunt Doctores, quos allegavimus *lib.*4. *c.*23. *n.* 47. dicentes, votum conditionale minimè deobligare, quando culpa voventis non impletur conditio. Et pro hac etiam parte est, quod diximus *lib.*4. *c.*16. *nn.*108. ubi diximus non satisfacere voto ingrediendi religionem, qui delinquit in eum finem ne admitteretur, aut ut admissus excluderetur. Quando autem ille adhibita sufficienti diligentia, fraudeque detecta non admitteretur, sed repulsum in perpetuum pateretur, credo eum manere à votis liberum, quia jam per ipsum non stat; consulto autem dixi, detecta veritate, quia detegere teneretur, si id opus esset ad novam admissionem, quia ea non detecta existimare possent superiores vitia priora non ex industria, sed ex pravis affectibus, & ex mala indole ortum habuisse, & ita judicarent illum Societati ineptum, & ideo non admittere auderent. Sed dices, ut hic liber evadat opus est adesse legitimam dimissionem; at præcedens non fuit talis, utpote quæ fraudibus extorta est, nec præsens est legitima, quia Provincialis modò non admittens, caret potestate expellendi post biennii vota. Sed respondetur, quamvis careat potestate dimittendi; at ubi quis semel est dimissus à Patre nostro Generali, habet potestatem non admittendi iterum, & sic ratam habendi priorem dimissionem, quando denuo admittere non expedire judicaverit.

67 Atque idem censendum est de eo, qui sibi falsa aliqua imposuit, ut expulsionem extorqueret, ut graves lapsus Venereos, aliqua similiter dimissio hæc est involuntaria, utpote quæ fraudibus extorta est. Atque ita decrevit Congregatio Generalis *decreto* 18. §. 4. hos nullo modo tutos in conscientia esse, & hujusmodi expulsionem in foro conscientiæ fore irritam, eosque in eodem foro omnibus subjacere apostatarum censuris, ac pœnis: & si hoc in exteriori foro constiterit, posse superiores contra eos agere tamquam contra veros apostatas, juxta Societatis privilegia, & sacrorum canonum dispositionem.

68 Sed quid, si hic emiserat votum recitandi quotidie, dum in Societate permaneret, an expulsus fraudibus prædictis maneat ad preces illas fundendas astrictus? *Leonard. lib.*2. *de justit. c.*40. *in fin.* quæstionem hanc tractat, & dicit probabile esse hunc non teneri immediatè, quia mens ipsius videtur esse non se obligare, nisi dum in monasterio maneat: at teneri mediatè, quippe tenetur iteratam admissionem procurare; & admissus tenebitur vi prioris voti. At probabiliùs ait, hunc manere obligatum; quia conditio, sub qua promisit, non cessavit eo modo, quo debuit, quod mens voventis fuerit se obligare quamdiu superior ipsum sponte retinere vellet. At posterior hæc pars omninò mihi placet; & est dictis conformis: quia sensus illius voti est, quamdiu religiosus Societatis fuero. Et ita si ille à Societate fugeret, nullus dubitaret illum eo recitandi voto teneri, quia cùm nondum expulsus sit, manet religiosus Societatis. At hæc dimissio fraudibus extorta eum non liberat votis, sed adhuc manet religiosus Societatis, ut probavimus *n.*70. ergo adhuc manet eo voto ligatus.

69 Quarta difficultas est, an lethaliter peccet, qui post ea biennii vota, aut etiam tempore novitiatus emissa, committit culpas sufficientes dimissioni ex Societate, quamvis ex se illæ non essent nisi veniales, nec dimitti intendat, ut si frequenter regulas ad nullam culpam obligantes transgrediatur, ut si nollet orare temporibus præscriptis, ingrederetur quæ omnium cubicula, & similia efficeret, & quid quando non commissis his culpis petit admitti? Sit prima conclusio. Quando sive post vota biennii, sive novitiatus ex fragilitate, aut vehementi passione in eas culpas incideret, ac mediocrem adhiberet diligentiam ad eas cavendas, non peccaret mortaliter, secus quando ex gravi negligentia, & adverteret se ad repulsum è Societate disponi; tunc enim peccaret mortaliter contra perpetuam in Societate perseverantiam iis votis promissam. Probatur prior pars, quia promittens aliquid non se obligat ad media adhibenda, ut id impleat cum omni conatu possibili, sed tantùm cum mediocri, juxta rei promissæ difficultatem. Probatur posterior pars ex dictis *c.*4. *n.*18. ubi consuetudinem hanc esse lethalem probavimus. Item, quia vovens aliquid censetur indirectè se obligare ad media necessaria mediocri diligentia apposita ad id explendum; & hac ratione probavimus *lib.*4. *c.*16. *n.*61. voventem religionem scientem esse opus discere Grammaticam, ut admittatur, obligari consequenter ad eam addiscendam. Cùm ergo ad perseverantiam in religione, quæ per ea vota biennii, aut quæ tempore novitiatus emittuntur, promittitur (eadem enim prorsus est formula vovendi, ut diximus *n.*62.) desideretur niti vitare has culpas, ac se corrigere, qui non adhibet ad id mediocrem diligentiam, peccabit mortaliter contra perseverantiam iis votis promissam. Secundo, quia reus est culpæ lethalis; qui se impotentem reddit ad votum explendum, ut qui post religionis votum iniret, consummaretque matrimonium, quo consummato, jam nequit ad religionem migrare. Ergo similiter peccabit, qui tales culpas non vitat, cùm similiter impotentem se reddat, ut in religione promissa perseveret. Tandem, quia vovens religionem, & illam ingrediens, tenetur, ut voto satisfaciat, ut in ea perseveret, ut probavimus *lib.*4. *c.* 16. *n.*89. *& sequent.* nedum ad id tenebitur, qui promisit per ea vota in Societate perseverare.

70 Secunda conclusio sit. Qui post ea biennii vota, aut novitiorum petunt à Societate dimitti, humiliter significata sua tentatione, aut difficultate ad perseverandum, & ad se instituto Societatis accommodandum, ac proponentes se vincere, mediocremque adhibere diligentiam ad perseverandum, nisi dimittantur, non peccant; secus autem si tenaciter petant non habentes eum animum acquiescendi, & procurandi mediocriter perseverantiam, si judicet superior eos non dimittendos; tunc enim peccabunt mortaliter. Constat, quia proponens Pontifici causas, ut secum dispenset in voto castitatis, si proponat Pontifice non dispensante, niti ad votum implendum, non peccat utique, quia medis licitis curat se voti obligatione liberari. At non evaderet culpam mortalem, qui ita tenaciter peteret, ut paratus non esset ad mediocrem diligentiam adhibendam, ut votum servet, Pontifice non dispensante, aut si sua tenacitate, & rebellione quasi cogeret Pontificem, ut secum dispensaret. Ergo idem dicendum est de petentibus votorum Societatis obligatione liberari per legitimam ab ea dimissionem, cum hic quoque solvendæ ejus obligationis modus sit licitus.

71 Quinta difficultas est, an dimissi ex Societate post vota biennii ob culpas, quas non curarunt mediocri diligentia vitare, teneantur aliquid Societati restituere? Videntur teneri, supposito hoc, peccare lætaliter contra vota, ut probavimus *n.*73. quia per hæc vota traditi sunt religioni, ut decidit *Gregor. XIII. in sua Extravag. ascendente*; at culpabiliter subtrahens rem alteri traditam, tenetur restituere, cùm traditio conferat dominium rei, & jus protuere, ergo tenentur restituere. Sed veriùs est non teneri; & praxi ita receptum est, quia ex vi votorum non tenentur, utpote quæ omninò cessant per dimissionem legitimam, ut diximus *n.*62. neque etiam ex lege justitiæ, quia religio nec per ea vota, nec per solemnem professionem acquirit jus justitiæ in personam. Non enim per professionem se obligat religiosus suo monasterio ex justitia, sicut servus domino; sed ex solo obedientiæ voto, quod est actus religionis. Neque obstat argumentum de traditione, quia id verum habet, quando traditio est in bonum alterius, cui res traditur, & producit obligationem justitiæ. At in præsenti religiosus non profitetur in religionis bonum, sed ad suum spiritualem in virtutibus progressum; nec religio acquirit jus justitiæ, sed obedientiæ. Et ita *Doctores in tractatu de restit.* communiter, tradunt fuadentem professo, ut fugiat nulla vi, aut fraude illata, non teneri aliquid religioni restituere, quasi non peccarit contra justitiam, sed contra votum obedientiæ, quo professus ille perseverare tenebatur.

72 Quare etiamsi data opera Societatis religiosi eas culpas admitterent, ut ex religione expellantur, non tenerentur religioni aliquid restituere, quia non delinquunt contra justitiam, sed contra sola vota: alia autem ratione tenebuntur redire, quia, ut diximus *n.*70. non evadunt à voto perseverandi in religione liberi.

73 Sexta difficultas est, an possit Generalis Societ. JESU obligare ejectos, sive novitios votis ligatos, sive eos, qui vota biennii emiserunt, aut professionem, ut transeant ad aliam religionem, & si ab ea recedant, quid facere teneantur? Sed de hoc diximus supra *n.*43.

74 Ultima difficultas est, an professi quatuor votorum ejecti in perpetuum à Societate teneantur ad votum solemne obedientiæ Pontifici circa missiones, quod in sua professione emittunt, & tam illi, quam reliqui ejusdem professi ad vota simplicia, quæ post professionem emittunt? *Gabriel Vasquez* 1. 2. *q.*96. *art.*4. *disp.*165. *c.*8. *n.*91. & 92. ait per expulsionem à Societate cessare eorum votorum obligationem.

75 At id non credo, quia etsi in fine eorum votorum addatur, omnia intelligi juxta constitutiones Societ. JESU; at nullibi habetur in ejus constitutionibus professos expulsos liberari eorum votorum obligatione. Nec *Gregor. XIII. in sua Extravag. ascendente*, ubi latissimè, & ad unguem Societatis JESU institutum explicuit, eam liberationem declaravit, sicut declaravit, & declarant constitutiones, ejectos post vota biennii, & coadjutorum formatorum liberos omninò à votis evadere. Adde idem dici in professione solemni, cujus perpetuitatem non tollit id additum, eo quod nihil contra ejus perpetuitatem in constitutionibus continetur; sed id additum refertur ad modum, quo ea vota observanda sunt, qui in constitutionibus declaratur. Sicut dum alii religiosi vovent tria vota, adduntque, juxta talem regulam, illud additum nullam conditionem importat, sed modum obligationis eorum votorum. Et confirmatur, quia si professus hic expulsus admitteretur iterum, non indigeret nova horum votorum emissione, sicut nec nova professione. Quare ea vota sunt solùm suspensa, nec obligant dum ille extra Societatem est. Atque idem intelligo de solemni obedientiæ Pontifici voto; idem est annexum statui Societatis, ejusque professioni: nec enim professus ille se obligat ad sic obediendum eundo inter infideles instar clerici sæcularis, sed tamquam membrum corporis Societ. JESU. Quare dum repulsum est membrum resecatum, suspensa est ejus obligatio. Et hanc partem probant rationes, quas adduximus in professis aliarum religionum *n.*56.

CAPUT X.

Qualiter novitii subjiciantur præceptis regularium, & superiorum, ab ipsisque puniri valeant.

SUMMARIUM.

*Si novitius resilire velit, non tenetur ad regulas, vel superiorum præcepta, n.*1.

*Explicatur, quando teneatur ad expensas, quando sicto animo ingressus est, n.*4.

*An teneatur, quando recto animo ingressus est, & resilit? refertur quædam sententia, n.*3.

*Explicatur sententia Auctoris, n.*4. *&* 5.

*An novitii volentes perseverare obligentur præceptis regulæ, & superiorum? refertur quædam sententia, n.*6.

*Explicatur sententia Auctoris, n.*7.

Quid de novitiis Societatis JESU, qui ex devotione vota emittunt? num. 8.

*An novitius delinquens possit puniri à Prælato regulari, vel à Judice sæculari, aut Ecclesiastico? proponuntur probantia partem affirmantem, n.*9.

Exponitur ſententia Auctoris, & an teneantur novitii, ſi poſteà reſilire velint, ſtare ſententiæ? n.10. uſque ad 14.
An novitii immunes ſint à ſolutione gabellarum? refertur duplex ſententia, n.15.
Explicatur ſententia Auctoris, n.16.
An novitii poſſint excommunicari à proprio Epiſcopo, vel à religionis Prælato? n.17.
An poſſint ad ordines promoveri? Refertur quædam ſententia, num. 18.
Refertur ſententia Auctoris, n.19.
A quo Epiſcopo poſſint initiari? Refertur quædam ſententia, num. 20.
Sententia Auctoris exponitur, & an novitiorum dedicatio ſit conditionalis, an pura, reſolvendaque in eventum conditionis, & quid diſtet inter utrumque modum? n.21.
An ſi deſideretur licentia Prælati religionis, ut novitius ordinetur, & an ille Prælatus poſſit ei dare dimiſſorias, ut à quocumque Epiſcopo ordinetur? & ibi remiſſivè, an novitius gaudeat privilegiis religionis? n.22.

1 HAc in re certum apud omnes eſt, liberum prorſus eſſe novitiis ab inſtituto regulari incœpto retrocedere ad ſæculum redeundo, ac proinde tunc à præceptis regulæ, & ſuperiorum, eorumque juriſdictione reddi omninò immunes. Conſtat ex *cap. 1. & cap. 2. de regul. juris, in ſexto.*

2 Hinc deducitur ſolutio illius quæſtionis, an novitii à monaſterio recedentes teneantur ſolvere expenſas in ſuis alimentis à monaſterio conſumptas? Quæ quæſtio planè procedit, quando miniſteria religioni à novitio exhibita non æquivalerent expenſis illis: quando enim æquivalerent, certum eſt, nihil à novitio deberi; etiamſi novitius animo in ſæculum redeundi ingreſſus eſſet, ſed expenſas compenſari miniſteriis illis. Tunc autem æquivalentia dicentur, quando monaſterium obſequio illius novitii indigebat, quo ab eo non exhibito expenſas totidem facturum eſſet monaſterium pro alio miniſtro; ſecus autem, quando eo miniſterio non indigebat; ſed id per alios ejuſdem religionis ſupplendum eſſet non amplioribus à monaſterio expenſis factis.

3 Quæſtio igitur procedit, quando rectà perſeverandi intentione ingreſſus eſt, & miniſteria ipſius non ſunt æquivalentia expenſis, ac poſtea mutato animo exiit. Et quidem videtur ad eas teneri per *cap. de lapſis, 16. qu.6. & cap. ſi quis rapuerit 7. q.1.* ubi deciditur, in probatione exiſtentes non debere eſſe oneroſos monaſterio. Sed hæc jura nil probant; nam ut benè ait *Ancharan. c. beneficium n.1. notab. 4. in fin. de regul. in 6.* ea jura non loquuntur de novitiis, qui in religione ſunt ad experiendum, an is ſtatus ipſis conveniat, ſed de regularibus, qui in aliud monaſterium cauſâ pœnitentiæ agendæ ob delicta detruſi ſunt. Quare concludit, veros novitios vel non teneri ad hujuſmodi expenſas, vel ſaltem ad dimidiam ſolùm expenſarum partem teneri; & in hanc partem poſteriorem magis inclinat, licèt cogitandum relinquat: duciturque, quod ea probatio, & monaſterii, & ipſius novitii favorem reſpiciat, *c. ad Apoſtolicam, de regular.* ac proinde exiens ad ſolam dimidiam expenſarum partem ipſius novitii favori correſpondentem aſtringetur; & refert pro ſe *Joan. Andr. eo c. beneficium in fin.* qui quidem hanc ſententiam innuit, licèt non expreſsè eam dicat, ſolùm enim ait, eos textus loqui de incluſis propter culpam; probationem autem novitiorum eſſe in utriuſque favorem.

4 Cæterùm dicendum eſt, nullatenus teneri ad expenſas. Ducor; quia liberè poteſt redire ad ſæculum, ut diximus *nu. 1.* at non poſſet liberè, ſi ad expenſas teneretur: ſæpe enim retineri poſſet, quod expenſas ſolvendo non eſſet, eo quod monaſterium eum alere teneatur, & ipſe quoque monaſterio inſervire; & per accidens eſt ſi ratione morbi, aut alia cauſa non inſerviat, aut expenſæ mercedem laboris excedant. Nam ſi labor excederet expenſas, non haberet jus novitius mercedis exceſſus exigendi. Et ideo hanc partem ſuſtinet *Dominicus c.2. nu.5. & c. beneficium in fine de regular. in 6. Francus c.1. in principio n.2. notab. 3. & c. beneficium in fine eo tit. & lib. Barbat. c. in præſentia nu.58. de probat. Ananias c. ſtatuimus in fine de regular. Nicol. de Ubald. de ſucceſſ. ab inteſtato,* ubi *de ſucceſſ. regular. 2. p. n. 10. in fine* habetur *8. tomo tract. p. 1. Guillelm. Redov. de ſpoliis Eccleſiaſtic. qu.8. in principio, num.71.* habetur *tomo 14. tract. Lælius Zecchius de Rep. Eccleſiaſtica, tit. de regular. c.3. nu. 10. Roſella verbo novitius num.11. Sylveſter verbo religio 5. quæſt.8. Anton. Cuc. lib. 3. inſtitut. moral. titul.1. num. 81. Manuel qq. regular. tomo 3. qu.16. art. ultimo, §. circa eamdem conſt. Azor. lib.12. inſtit. moral. c.3. qu.6. Emmanuel Sà ſumm. verb. religio num. 8.*

5 Hoc tamen temperandum eſt, niſi pactum eſſet largiendi monaſterio expenſas novitiis, ut in monaſteriis monialium contingit; tunc enim ſive novitia perſeveret, ſive exeat, expenſæ debentur monaſterio, nulla prorſus ratione habita miniſterii religioni exhibiti, quia in omni eventu, & abſque ulla exceptione contractus ſolvendi expenſas initur.

6 Circa principalem igitur quæſtionem obligationis novitiorum ad ſtatuta regulæ, & præcepta ſuperiorum. *Sarmiento lib. 2. ſelectarum, c.5. nu. 9. verſic. ex ſupradictis dubiis manet, an præceptis regulæ teneantur, & quidam,* quos tacitò nomine refert *Azor. lib.12. inſtitut. moral. c.2. qu.10.* exiſtimant novitios non teneri religionis ſtatutis ratione voti aut præcepti, quod regula, & inſtitutum ordinis conſtituit; at verò ſuperioris præcepto ligari, & cogi poſſe, non quidem abſolutè, & ſimpliciter, quia liberè valent à religione recedere, ſed ſi in probatione permanere velint. Tum quia eorum probatio id poſtulat; tum etiam, quia dum in probatione verſantur, ſe ſuperiori ſubjiciunt, & obligant, cùm aliter probari commodè, & gubernari nequeant. Nam ut habetur *cap. recolentes, verſic. ſi enim, de ſtatu monachor.* dignum eſt, ut qui ſimilem cùm aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam. Confirmatur, quia licèt clerici non ſubſint Principibus ſæcularibus, tenetur tamen eorum legibus in commune Reip. bonum editis.

6 Sed veriùs eſt, eos non aſtringi præceptis, & ſtatutis religionis, & ejus ſuperiorum. Ducor, quia nondum in religioſorum contubernium, & ſodalitium admiſſi ſunt, ſed in probatione verſantur, ad experiendum an admittendi ſint, ſicut Cathecumenus Eccleſiæ legibus non aſtringitur, donec perfectè per baptiſmum in Eccleſiæ gremium admiſſus ſit. Neque obſtant argumenta contraria: quia ſolùm probant decentiſſimum eſſe novitios eas regulas obſervare; non autem probant teneri, quia verè non ſunt partes communitatis religioſorum, ſed in via, ut ad eam communitatem per profeſſionem admittantur; ſicut Cathecumenus non eſt verum Eccleſiæ membrum, ſed eſt in via, ut per baptiſmum fiat. Nec eſt ſimile de clericis, quia vera pars Reipub. civilis ſunt. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Roſel. verbo novitius, num. ultim. & ibi Angel. num.18. Armil. num.18. Tabien. qu.13. num.34. Sylveſt. verb. religio 5. qu.6. Cordub. in quæſt. lib. 1. quæſt.3. in 5. probat. 1. opinionis, Antonius Cuccus lib. 3. tit. 1. numero 70. Azor. dicta quæſt. 10. Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 22. num. 7. & lib. 6. de pœnitentia cap. 16. numero 3. ad finem, Emmanuel Sà ſumm. verb. religio, num. 8. Graffis 1. p. deciſ. lib. 3. capit. 5. num. 13. Manuel qq. regular. tomo 1. qu. 21. art. ultim. Cataneus in ſua ſumma, verb. novit. ad finem.*

8 Sed major eſt difficultas de novitiis Societatis JESU, qui ex devotione, pro ut fieri ſolet, vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ emiſerunt. Videntur enim teneri regulis, & præceptis inſtar religioſorum ejuſdem Societatis, qui per vota biennii deſiere eſſe novitii, & in corpus Societatis cooptati ſunt; quia ſub eadem prorſus forma vota emittunt hujuſmodi novitii. Inſuper, quia ſi violent caſtitatem fornicando, aut paupertatem retinendo proprium, ejuſdem prorſus criminis rei ſunt, ac religioſi, qui vota biennii emiſere violantes hæc vota. Ergo ſimili quoque culpa innodabuntur, ſi obedientiam violent, tranſgrediendo regulas, ac ſuperiorum præcepta. Cæterum exiſtimo dicendum, poſſe quidem ſuperiorem religionis imponere eis præcepta in virtute obedientiæ, & obligantia ſub mortali, non quaſi ſuperior jus habeat in novitium, cujus vota ei emiſſa non ſunt, nec ab eo acceptata, ſed quia novitius promiſit Deo exhibere obedientiam huic ſuperiori, & eo ipſo quod ſuperior hic præcepit, obligatus eſt Deo novitius per ſuum votum ad parendum huic ſuperiori; ſicut ſi quiſpiam promitteret Deo ſe recitaturum calculos virgineos, quoties confeſſarius id juſſerit, confeſſarius quidem nullum habebit jus in eum voventem, quia nulla ipſi promiſſio eſt facta, nec acceptata. At eo ipſo quod ipſe jubeat eas preces fundi, tenebitur Deo ipſe vovens ratione voti ab eo emiſſi; nam tunc temporis ponitur conditio in re, qua poſita ſe obligavit Deo; adde juriſdictionem, & poteſtatem ſuperioris in religioſos non conſurgere ex vi, & natura votorum, ſed derivari à Pontifice erigente religionem, ut probavimus *libro 4. c.24. n. 20.* quæ in ſolos veros religioſos, & perfectè ſubditos conceſſa eſt. Secundò exiſtimo quando ſuperior religionis, vel regula abſolutè imponit præceptum obligans communitatem, eo præcepto non comprehendi novitios, quia manifeſta ſuperiorum & regulæ intentio eſt, eos ſolos obligare, qui plenè ſuperioribus, & regulæ ſubjiciuntur, & ſunt verè partes illius communitatis, & in quos juriſdictionem acquiſierunt; quæ tria non reperiuntur in novitiis, quantumvis eo obedientiæ voto obligatis. Neque obſtat hos novitios promiſiſſe obedientiam ſecundum regulam, & ſervaturos ſe regulam, quia hujuſmodi votum intelligitur eo modo, quo obligat regula: hujuſmodi autem rigida regulæ præcepta non cenſentur novitiis illis impoſita, ſed veris religioſis, qui regulæ ſubſunt; & ex his ſoluta manet contraria objectio.

9 Hinc primò deducet quiſpiam novitios hos in delictum aliquod incidentes, non poſſe puniri à Prælato religionis, utpote qui nulla in eos juriſdictione gaudet; ſed vel puniendos à Judice ſæculari, ſi nullo Eccleſiaſtico ordine inſigniti ſint, & delictum ſit ſæculare, aut à Judice Eccleſiaſtico, ſi delictum ſit Eccleſiaſticum. Et confirmatur, quia cum novitius nullis regulis, aut ſuperioris præceptis aſtringatur, non poterit ſuperior regularis eum aſtringere ad pœnam ſubeundam, & proinde coram illo conveniendus non erit. Atque ita eos non gaudere privilegio fori docet *Thom. Triviſanus deciſ. Venet. lib. 2. deciſ. 57. n.17. & tract. de modo, & ordine procedendi criminaliter inter regul. c.2. art.21.*

10 Cæterum dicendum eſt primò, novitium gaudere privilegio fori, ac proinde conveniri non poſſe coram Judice ſæculari. Ducor, quod etſi non perfectè, & omninò religioſus ſit; at eſt intra religionem, ejuſque pars quamvis imperfecta, qua ratione ipſum percutiens innodatur ſententia excommunicationis, inſtar percutientis clericum *c. religioſo, de ſent. excommunicat. in 6.* Item ex *l. ſtatu liber. 14. ff. de quæſtionib.* ubi habetur, ſtatu liberum in delicto repertum non ut ſervum ob ambiguum conditionis ſtatum, ſed ut liberum puniendum eſſe. Ergo pari ratione novitius, cujus dubius ſtatus eſt, an futurus ſit religioſus, an laicus, deſerto monaſterio, ſi delinquat, non inſtar laici coram Judice ſæculari, ſed inſtar religioſi conveniendus eſt. Item, quia adhærentia religioſis ſunt religioſas *l. quæ religioſis ff. de rei vendic.* Atque ita docent *Gloſſa cap. beneficium, verbo conferendum, de regularibus in 6. & Joan. Andr. in 1. verſ. in regul. 3. & ibi Dominicus num. 7. Anchar. nu. 3. qu. 2. in initio. Francus, n.4. in initio, Probus ibi. addit. ad Monachum. nu. 4. Idem Francus dicto c. religioſo §. quamvis, num. 3. & ibi Dominic. nu. 3. & Archidiaconus fin. Federicus conſ. 32. quæſt. talis eſt. Hoſtienſ. c. penult. num. 4. & 5. de regular. Anton. c. 2. num. 6. in fin. de foro compet. Anchar. conſ. 69. num. 12. column. penul. verſic. conſequenter quæritur. Jaſon. l. cùm quædam puella n. 13. verſ. & quod dicitur religioſo ff. de juriſdict. omnium Judic. Decius cap. in præſentia in nova edit. nu. 286. in fin. de probat. Joannes Lupus rubr. de donat. §. 38. num. 7. Plaza de delict. c. 42. num. 23. Idem Jaſon authent. ſi quà mulier num. 59. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Cuman. l. ſtipulatio hoc modo 61. num. 11. ff. de verb. obligat. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gloſ. 8. nu. 21. Berthachinus de gabellis 7. p. n. 56. Navarr. ſumm. cap. 12. n. 65. & lib. 3. conſ. in 1. edit. tit. de regular. conſ. 58. num. 4. in 2. lib. 2. tit. de foro compet. conſ. 6. nu. 4. Cordub. in quæſt. lib. 1. quæſt. 30. opin. 1. in 4. probat. verſic. ſed neque iſta ratio & in 2. opin. prob. 6. Steph. Lamberteng. tract. de contract. eorum gloſ. 2. quæſt. 19. num. 27. in fin. Brunorius inter deciſ. Cavalcan. deciſ. 11. num. 7. part. 5. Cavalcan. deciſ. 10. num. 37. part. 5. Tapia authent. ingreſſi verb. ſua c. 2. num. 12. juncto, num. 13. in col. ad 6. Sarmient. l. 1. ſelect. c. 5. nu. 9. verſ. ex ſupradictis, Plaza de delict. c. 42. nu. ult. Ant. Cuc. lib. 3. inſtit. moral. tit. 1. num. 92. Paul. & Angel.* quos refert, & ſequitur *Bobad. lib. 2. polit. c. 18. nu. 86. Bellug. in ſpec. princ. rubr. 11. §. viden. nu. 5. in fin. Decian. practic. criminal. tom. 1. lib. 4. c. 9. num. 24. Farinac. pract. criminal. tom. 1. in 3. edit. tit. de inquiſ. qu. 8. nu. 46. ampliat. 16. Steph. Coſta repetit. dicti c. religioſo num. 14. Mandel. in caſib. annal. nu. 67. caſu 198. Gutier. qu. canon. lib. 2. cap. 1. num. 107. Brunor. in ſuo comp. verb. novitius intra annum. Mena in ſuis quæſt. variis, lib. 2. q. ult. n. 198. Ludov. Lop. 1. part. inſtruct. conſ. cap. 47. col. 2. verſ. ſed utrum Girund. de gabel. 7. p. in princ. nu. 46. Spino ſpec. teſtam. gloſ. 12. principali num. 60. Azor. lib. 12. inſt. mor. c. 2. qu. 11. Petrus Caball. conſ. 175. nu. 8. & 9. tom. 1. Mol. tom. 1. de juſt. diſ. 139. col. 4. §. novitii ante ingreſſi, & col. antepen. §. ad id unde, & tom. 3. diſput. 671. num. 2. Lal. Zecchius de Rep. eccleſ. tit. de regul. cap. 3. num. 9.*

11 Secundò dico, nec poſſe novitium hunc, ſi in religione permanere velit, coram Judice eccleſiaſtico conveniri, ab eove puniri; ſed coram Prælato religionis conveniendus eſt, ab eoque puniendus, quia ſicut favore religionis eximuntur novitii inſtar profeſſorum à civili poteſtate, ſic etiam ab Epiſcopali, dum in probatione verſantur, ſicut hodie profeſſi ab utraque poteſtate eximuntur. Atque ita docent *Navar. lib. 3. conſ. 1. edit. tit. de regular. conſ. 58. nu. 4. in 2. lib. 2. tit. de foro compet. conſ. 6. nu. 4. Cordub. & Azor. num. præced. allegati, Mol. tom. 3. de juſt. diſp. 671. num. 2.* & apertè videntur idem ſentire *Sarmient. num. præced. allegatus* dum ait, novitium tamquam religioſum puniendum eſſe. Unum non approbo, quod ait idem *Navarrus in 2. edit. eod. tit. de foro compet. conſ. 5. numer. 2.* ubi dicit, poſſe novitios hos puniri à ſuo Prælato, vel à Judice eccleſiaſtico.

12 Et hoc idem, non ſolùm procedit, quando novitius contra religionis regulam, & ſtatutum delinquit, ſed etiam ſi committit alia delicta, etiam capitali pœna digna, ut homicidium. Eſt enim puniendus, ſi permanere velit, à Prælato regulari, perinde ac ſi eſſet profeſſus; quia dum permanet, exemptus eſt à quacumque alia juriſdictione, ut probavimus *num. præced.* & docet *Navarr.* in omnibus locis ibi allegatis, & *Azor.* ibi quoque allegatus; unde ſi tortura neceſſaria ſit ad comprobandum delictum, poteſt ille novitius à Prælato regulari torqueri inſtar profeſſorum, ut benè ait *Navar. eo conſ. 5. nu. 3.* Similiter ſi exigatur ab eo novitio debitum civile, exigendum eſt, non coram eccleſiaſtico Judice, ſed coram Prælato religionis, ut benè tradit *Azor. ibidem*, cum exemptus ſit à poteſtate Judicis eccleſiaſtici, ſoliſque religionis Prælatis ſubſit.

13 Unde non placet quod tradunt *Roſella verb. novit. 12. & ibi Tabiena qu. 13. num. 14. Armilla, num. 18. Sylveſt. verb. religio 5. q. 7. Antonius Cuccus lib. 3. inſtit. moral. tit. 1. nu. 80.* non dicunt, neutrum poſſe puniri à religionis Prælato pena perpetui carceris ob delictum ea dignum, ſed ſolius temporalis, ſi eam pati velit. Ducuntur, quod non doſſit impediri illi reditus ad ſæculum, qui impoſita carceris perpetui pena impediretur utique. Illi favet *Henriquez libr. 6. de pœnitentia cap. 16. num. 3. ad fin.* dicens, non poſſe novitios duro monaſterii carcere puniri; & *in coment. lit. T.* ait, poſſe levi penitentia, ut diſcipulum à Magiſtro. Sed meritò alii tenent, poſſe quoque eos perpetuo carceri damnari: quia ſuppoſita permanendi voluntate, ſubduntur planè quo ad delicta Prælato regulari; ergo poſſunt ab eo qualicumque pena ei delicto debita plecti. Quod ſi permanere nolint, neutra pena puniri valent, cùm ante profeſſionem ſit plena exeundi à poteſtate Prælati facultas, eis conceſſa per religionis egreſſum. Unde non eſt quod diſtinguant prædicti auctores inter penam perpetui, aut temporalis carceris; ſed utraque ſi permanere velint, puniri poſſunt, neutra autem, ſi ad ſæculum redire eligant. Quare neutra pena impeditur eis libertas religionis deſerendæ, cum utramque ſolùm ſubire cogantur caſu, quo in religione permanere velint, & neutri ſubjiciantur, ſi egredi placeat. Et ita docet *Ancharan. cap. 2. in fin. de regul. in 6. & Lupus,* quem referunt *Francus eo c. 2. n. ult. & ibi Dominicus l. 1. n. 12.* & licet prima facie videantur illi contradicere, at re vera non contradicunt: nam ad aliam quæſtionem pertractandam divertunt, nempe, an conſtitutionibus religionis cuidam delicto pœnam perpetui carceris imponentibus, novitius ejus delicti reus tanta pena dignus ſit? & uterque jure optimo concludit non tanta pena eum dignum eſſe. Quippe cùm annus probationis ad auſteritatem regulæ probandam concedatur, non debet tranſgreſſio illius ſub ea pena prohibentis ita gravi delicto tribui novitio, cùm in eo ſtatu conſtitutus ſit, ut experiatur, an eam prohibitionem ſuſtinere valeat. Et quòd poſſit novitius perpetuo carceri damnari, tenet *Lælius Zecchius de Rep. eccleſ. tit. de regul. c. 3. n. 10.* licet poſſint novitii nolle ſubdi judicio Prælati regularis, ſed exire; at ſi conſentiant, non poterunt penam, cui acceptantes judicium Prælati regularis ſe ſubdidere, effugere: quia legitimo judicio damnati ſunt. At poterunt nolle profiteri, cùm ad hoc cogi numquam valeant. Quod ſi novitio alicui imponatur penitentia pro aliquo delicto, ſi id fiat more religionis, & abque figura judicii, tunc ſi religionem deſerat, non tenetur eam penitentiam ſubire, quia cùm illæ pœnitentiæ imponantur more religioſo, & tamquam religionis membris, intelliguntur impoſitæ rebus in eodem ſtatu permanentibus, cùm id commune ſit omnibus actibus, ut intelligantur rebus in eodem ſtatu permanentibus, *l. quod Servius, ff. de condict. cauſa data*, & multis allegatis probat *Tiraq. l. ſi unquam, in præfat. nu. 167. C. de revocandis donationibus.* Immò dum permanent in religione, credo eos non teneri ſub aliqua culpa ad has penitentias ſubeundas, quia ex ſolo ſuperioris imponentis præcepto ad eas tenentur: præcepta autem ſuperioris, & regulæ novitios non aſtringunt, ut diximus, *num. 7.* ut quando in figura judicii pena eſſet poſita; quamvis licitum ſit novitio, re integra, vel ante cæptum judicium deſerendo religionem, id judicium vitare: at ubi ſemel volens perſeverare, & judicio ſe ſubjecit, & res non eſt integra, quia jam cæptum eſt, nequibit retrocedere, & tenebitur ſtare ſententiæ ſuperioris, ejuſque pænam exequi, niſi juſta appellatione ea ſententia ſuſpendatur. Quia ubi cœptum eſt judicium, ibi debet finem accipere *l. ubi cæptum, ff. de judiciis.*

14 Quod ſi novitius è religione egredi eligat, ſubdetur quidem Judici ſæculari, à quo ob id delictum in religione patratum puniri valet, quia delictum impunitum manere non debet, & è monaſterio egreſſus ſit merè ſæcularis. Atque ita docet *Farinacius pract. crim. tom. 1. tit. de inquiſit. in 3. edit. quæſt. 8. num. 47. ampl. 16. Bobad. lib. 2. polit. c. 18. num. 87. Stephan. Lambert. citatus num. 10.* quod tamen intelligendum eſt, quando novitius ille nullo ordine inſignitus eſſet; ſi enim aliàs eſſet clericus, eſſet puniendus à Judice eccleſiaſtico, ut conſtat.

15 Secundò deducitur ſolutio hujus quæſtionis, an novitii, qui non ſunt aliquo ordine inſigniti eximantur ex vi novitiatus à ſolutione gabellarum, vel ipſi propria bona, vel monaſterium, vel quivis alius nomine ipſorum ea vendat, aut commutet? Quidam deberi gabellam affirmant, quòd veri religioſi non ſint, ad ſæculumque redire valeant; ac proinde hoc perſonarum Eccleſiaſticarum privilegio non gaudeant. Ita docent *Laſarte, de decima venditionis, c. 19. n. 50. & in additionibus ad eumdem num.* *Manuel qq. regular. tom. 1. qu. 47. art. 8. ad finem, & tom. 3. q. 74. art. 9.* imò addit *Laſarte eo n. 50.* nec religioſos Societatis JESU, qui finito novitiatus biennio vota ſimplicia emittunt, immunes eſſe à gabellarum ſolutione, quod nondum profeſſi ſint. Alii verò cenſent loquentes de novitiis, rem hanc pendere ex futura profeſſione: ſi enim novitius poſtea illam emitat, non debebitur gabella ex rebus tempore novitiatus venditis, ſecùs ſi ad ſæculum redeat. Ducuntur ex doctrina *Tiraquell. de retract. lignag. §. 1. gloſ. 8. num 9.* ubi diſputans an novitius poſſit rem patrimonialem extraneo traditam retrahere ratione ſanguinis, dicit poſſe retrahere; at valorem retractus pendere ex futuro eventu: ſi enim profiteatur, non valebit, ſecus ſi redeat ad ſæculum. Ita docent *Parlador. de rebus quotidianis, in 2. edit. lib. 1. c. 13. §. 1. n. 21. Gironda de gabellis 7. part. in princ. n. 46.* Temperat *Parlador.*, niſi mandato novitii vendat monaſterium ejus bona in ipſius monaſterii utilitatem convertenda, quia tunc cenſentur ac bona monaſterii, & proinde ſunt a gabellis exempta. At prædictam diſtinctionem meritò reprobat *Laſarte in addit. ad d. cap. 19. num. 50.*

16 Sed multò veriùs eſt, novitios immunes eſſe ab harum gabellarum ſolutione, quippe eo quod novitii in religionem admiſſi ſunt pars ejus communitatis, quæ verè Eccleſiaſtica eſt, ac proinde tamquam perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt reputandi: atque ideo Doctores allegati *numero decimo,* tra-

tradunt eos privilegio fori gaudere. Et hanc partem tuentur *Bertachinus de gabellis 7. parte principali n.56. Mol. 3. tomo de just. disp.672. n.2. Mena in suis variis lib.2. q.21. n.198.* Quod autem addit *Lasarte* de religiosis Societ. JESU, est omnino à veritate alienum, cùm constet *ex Extravag. ascendente, Gregor. XIII.* eos verè esse & propriè religiosos, non aliter quàm professos, & ita advertunt *Molin. ibi n.3. Manuel ead. q.74. art.9. & ipse Lasarte additionib. ad id c.19. n.5.* cantavit palinodiam.

17 Deducitur tertiò non esse approbandum quod tradit *Henriq. lib.6. de pœnit. c.16. n.3. in comment. lit.S.* ubi ait, non posse novitios excommunicari à Prælato religionis, sed à proprio Episcopo; nam cùm à jurisdictione Episcopi sint novitii omninò exempti, ut probavimus *n.11.* non poterunt ab ipso excommunicari: sed si loquamur de Prælato religionis, videntur posse ab eo excommunicari. Quia tradunt *Doctores in tract. de excommunicat.* is superior potest excommunicare, qui jurisdictionem in foro externo habet. At ea potitur Prælatus religionis in novitios, dum in religione perseverare volunt, ut probavimus *n.10.* Sed in contrarium urget, quòd excommunicatio non possit ferri ob delictum præteritum, sed ob delictum futurum, ratione contumaciæ non obediendi. At Prælatus religionis non potest suo præcepto obligare novitios, nec excommunicatione præcepto ei adjuncta. Cæterùm dicendum est, in solo duplici casu id posse. Prior est, quando pœnam aliquam ratione delicti novitio imponeret; tunc enim posset sub pœna latæ excommunicationis præcipere novitiis, ut pœnam illam subirent: quia, ut probavimus, *n.12.* potest obligare ad eam pœnam ratione jurisdictionis, quam in foro externo ad eam imponendam habet. Ergo potest quòque sub excommunicatione præcipere illius observantiam, Posterior casus est, quando Pontifex constitutione, aut præcepto aliquo interdiceret aliquid sub pœna excommunicationis: si enim novitii id præceptum violarent, posset Superior religionis eos punire fulminando sententiam illam excommunicationis à Pontifice comminatam transgressoribus; quia ea pœna est condigna delicto. Sicut posset quoque infligere quamcumque aliam pœnam à Pontifice statutam in transgressores; quia dum novitii manere volunt in religione, est legitimus Judex ad imponendas pœnas eorum delictis condignas, ut probavimus *eodem n. 12. & sequ.*

18 Tandem dubitatur, an novitii possint ad ordines promoveri; id enim multi negant dicentes, neque ad primam tonsuram promoveri posse. Ducuntur ex *c. monasteriis 19. q.3.* quod est D. *Gregor. lib.8. epist.23.* ibi: *monasteriis omnibus fraternitas vestra districtius interdicat, ut eos, quos ad conversionem susceperint, priusquam biennium in conversione compleant, nullo modo audeant tonsurare.* Atque ita docent *Lambertinus de jure patr. lib.2. p.1. q.7. art.14. n.4. Angel. verbo novitius n.20. Rosella ibi n.31. Armilla n.18. Tabiena q. ult. Sylv. allegat. Rajnerio, & Goffredo verb. religio 5. q.10. Azor. lib.12. inst. mor. c.2. q.13. Cataneus in sua summ. verb. novitius ad finem.* Quod idem apertè sentit *Tapia auth. ingressi verbo ingress. c.2. num.36.* ubi asserit, novitium initiatum sacris ordinibus censeri tacitè profiteri, quasi sic initiari, sit actus professorum. Sed falsò allegat pro se *Calderinum cons.5. de regul.* Fatentur tamen *Angel. verbo dispens. n.8. & ibi Sylv. q.14. dict.5.* posse Prælatum religionis dispensare cum novitio, ut tempore novitiatus initietur, per *cap. monachus d.77.* Quatenus autem textus ille transiri biennium probationis petit, ait *Sylvest. verb. religios. q.10. & Lambert. eodem n.4.* consuetudine explicatum esse, ut sufficiat novitium illium professum esse, ut possit sacris ordinibus initiari, quamvis id biennium transactum non sit.

19 Verùm existimo, posse novitios quibuscumque sacris ordinibus initiari. Ducor, quòd nullus sit textus id interdicens; nam *c. monasteriis*, nullatenus loquitur de ordinibus accipiendis. Sed optimè id explicat *Turrecrem. ibi nu. 1.* id est, tonsuram monachalem facere, & habitum professorum induere. Et constat ex ratione, quam subjungit textus his verbis: *sed hoc spatio, vita, moresque eorum sollicitè comprobentur, nequis eorum non sit contentus eo, quod voluit, aut ratum non habeat id, quod elegit.* Et ita clarè supponunt *Ancharan. c. cùm nullus, de temporibus ordinand. in 6. n.4. q. penult. & ibi Francus in fin. Henricus c. de his num.16. de sepulturis, Anton. Cuccus lib.3. inst. mor. tit.1. n.94.* ubi tradunt, posse novitium intra annum probationis initiari ab Episcopo, in cujus diœcesi est, & tenent *Henriquez lib.14. de irreg. c.9. n.2. & in comment. lit. F, & lib.7. de indulgentiis c.22. n. ult. in comment. littera I, & lib.10. de sacram. ordinis c.23. n.3. in comm. lit. G. Suarez tomo 5. in 3. p. disp.50. sect.5. n.13. Manuel qq. regul. tomo 1. q.3. art.4. ad finem.*

20 Sed difficultas est, à quo Episcopo initiari debeat, *Henriq. lib.10. de sacramento ordinis c.23. n.3. in comment. littera G, & lib.14. de irregular. c.9. n.2. & in comment. lit. F*, dicit novitium à proprio Episcopo ordinandum esse, per *c. cùm nullus, de tempo. ordin. in 6.* Cui favent Doctores asserentes per novitiatum non censeri acquisitum domicilium in eo loco probationis, ac mutatum, prius quòd novitius non habeat animum perpetuæ habitationis in loco religionis, sed experiendæ regulæ, eaque experta statuendi, an ibi permansurus sit, an potius ad pristinum domicilium reversurus: sicut domicilium non compararet, utpote quod animum perpetuò habitandi requirat, ut tradidimus *lib. 3. de matrim. disp.23. n.1.* qui à proprio domicilio migraret alio, nondum firmiter statuens illic permanere, sed solùm experiri, an id expedieus sibi sit, Hi sunt *Lapus, & Paulus*, quos refert, & sequitur *Francus c.2. in princ. n.2. de sepult. in 6. & ibi Dominicus n.4. Card. c. de his qu.5. de sepult. & ibi Henric. n.25. Petrus de Verald. de canonic. Episcop. cap.9. n.34.* habetur *tomo 5. tract. par.2. Lalius Zecchius de Rep. eccles. tit. de reg. c.3. num.9. Suarez tomo 2. de religione tractat. de voto c.11. num.9.*

21 Cæterùm, quamvis hæc sententia sit valde probabilis; at credo probabilius, posse novitium ordinibus initiari ab Episcopo, in cujus diœcesi est in probatione. Ducor, quòd novitius ex parte sua animum perpetuò habitandi habeat, ac prioris domicilii mutandi, & hoc animo affecti omnes ingrediantur; quamvis in novitiatu sit ad experiendam religionis austeritatem, & si ferre non potuerit, liberum sit egredi, eumque animum habeat. Quare non potest dici dubius circa perseverantiam, dubius enim est, qui in neutram partem inclinans, est animo pendulus: sicut non diceretur dubius, sed revera domicilium acquireret migrans alio, ibi quantum est ex parte sua perpetuò mansurus, licèt animum habeat illius loci deserendi, si cœli temperies sibi incommoda sit, aut quid aliud feliciùs sibi contingat, juxta dicta *lib.3. de matrim. disp.23. nu.2. & 16.* Et confirmatur, quia cùm novitii ea animi æstimatione ingressi sint monasterium, ut ibi perpetuò maneant, ea distinctio tamquam actus perfectus habenda est; quamvis fortè in aliquo casu, aut impedimento occurrenti mutari valeat *l. cum quidam 8. & l. est non sint 6. Infectæ vers. quid ergo ff. de aur. & arg. legato.* Secundò, quia dedicatio novitii est pura, & non conditionalis, quamvis mutabilis, & resolvenda in eventum conditionis, si religio non placuerit, ut latè probavi *lib.4. hujus operis c.39. nu.20.* ubi ostendi discrimen inter dispositionem à principio puram, sed resolvendam sub conditione, & inter purè conditionalem, quod hæc, dum pendet conditio, nullum effectum operatur; at illa interim operatur suum effectum, donec resolvatur: ergo per hanc novitii dedicationem acquiritur domicilium. Atque ita novitium ordinibus initiandum ab Episcopo loci, ubi est in probatione, tradunt *Francus c. cùm nullus, in fin. de tempor. ordin. in 6. & ibi Ancharan n.4. Henric. c. de his n.15. de sepulturis Anton. Cuccus lib.3. instit. moral. tit.1. n.94.* Atque idem censent Doctores, qui dicunt habitatione novitii acquiri domicilium, ac censeri prius desertum. Hi sunt *Coffredus in summ. tit. de sepulturis n.7. Hostiensis eodem his, ad finem vers. quod si quis, de sepult. ubi Jo. Andr. & alii citati dicto lib.4. c.39. n.20. in fine.*

22 Nec requiritur licentia Prælati religionis, ut novitius quolcumque ordines suscipiat, quia quoad ordinum susceptionem non illi subjicitur, ut statim dicemus, neque ex vi voti obedientiæ, quod nondum emisit, neque ex ullo alio præcepto tenetur eam licentiam ab eo petere; licèt enim in novitiatum admittatur, & sub obedientia vivat etiam tempore probationis, non tamen sub obligatione culpæ, sed voluntariè, ut difficultates religionis experiatur: esset tamen gravis deordinatio contra disciplinam regularem, quam novitius proposuit observare, dum in probatione esset, rem adeo gravem sine licentia Prælati facere, & sufficiens judicium præberet, ut putaretur velle religionem deserere, aut an expediret illum è religione dimittere; quare nec excusari posset à gravi peccato veniali, non tamen esset mortale propter rationem dictam. Imo nec Prælatus religionis potest illi licentiam dare, aut litteras dimissorias conferre, ut à quocumque Episcopo possit ordines suscipere. Quia Prælatus religionis non habet omnimodam potestatem & jurisdictionem circa novitium, nec novitius est illi quoad omnia subjectus; sed tantùm habet circa illius potestatem, & jurisdictionem necessariam ad bonum regimen, & finem probationis, & quoad hanc tantùm est exemptus à jurisdictione Episcopi; ad finem autem probationis in religione non est necessarium, quòd Prælatus religionis possit dare novitio facultatem, nec litteras dimissorias ad suscipiendos ordines à quocumque Episcopo, ut benè docet *Suarez tomo 2. de relig. lib.6. de voto c.11. n.9.* & nos diximus *lib.4. c.39. n.21.* Quare ea facultas, seu litteræ dimissoriæ ad ordines suscipiendos petendæ sunt ab Episcopo originis, id est, in cujus diœcesi natus est novitius, vel ab Episcopo, in cujus diœcesi domicilium habebat, quando ingressus est religionem, vel ab Episcopo, in cujus diœcesi est monasterium, in quo novitiatum agit, juxta dicta *n. prec.* nisi religio ad id habeat privilegium; quia si illud habet, etiamsi in illo non exprimatur, quod possint communicari novitiis, poterit Prælatus prædictam licentiam, seu dimissorias conferre novitio, ut à quocumque Episcopo ordines suscipiat, perinde ac cæteris religiosis professis; quia satis probabile est novitios gaudere privilegiis religionis, ut ex *Molina, Henriquez, & Azor*, diximus loco citato *n.17.*

CAP.

CAPUT XI.

Qualiter religiosis interdictum sit esse executores testamentorum, aut commissarios ad testamentum nomine committentis conficiendum, absque superioris licentia.

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputanda sint, n.1.
Nullus religiosus potest suscipere munus executoris testamenti, vel cujuscumque ultimæ voluntatis, nec id exequi, etiam ad causas pias, absque superioris licentia, n.2.
Improbatur quædam sententia, n.3.
An hoc verum sit in solis religiosis claustralibus, & non in aliis, extra claustrum præsunt alicui beneficio? n.4.
An Prælatus immediatus religionis possit hoc munus obire absque superioris licentia? n.5.
Quid de misso ab Abbate ad regendum aliquem conventum, revocabili ad Abbatis nutum? n.6.
Omnes religiosi, demptis Franciscanis, possunt licentia superioris obtenta, esse testamenti executores, n.7.
An id habeat verum etiam quoad legata non pia? n.8.
An ultra licentiam exigatur utilitas monasterii? n.9.
An sufficiat licentiam obtineri post suscepto officium? n.10.
An sufficiat licentia tacita in hoc casu, & quotiescumque in jure requiritur alicujus licentia? n.11.
An licentiam semel concessam possit superior revocare, quamvis à Papa concessa sit? n.12.
An religiosus possit cogi hoc munus acceptare? n.13.
Et quid si absque licentia acceptavit? n.14.
Quicumque superiores religionis possunt hanc licentiam concedere, num.15.
Quid si consuetudine, vel statuto aliud caveatur? n.16.
In Societate JESU solus Generalis potest hanc licentiam concedere, num.17.
An religiosus Societatis JESU id officium acceptans absque licentia Generalis, peccet mortaliter, non tantùm contra institutum, sed contra præceptum juris communis? n.18.
An possit religiosus ex sola Episcopi licentia hoc munus obire? numero 19.
Superiore mortuo, cujus sit dare hanc facultatem? n.20.
An potestas hæc testamenti exequendi relicta monacho, transeat in monasterium, & an officium executoris testamenti transeat ad heredes? n.21.
An religiosi executores testamentorum teneantur rationem executionis Ordinariis reddere, & possit in ea delinquentes ab illis puniri? num.22.
Quid si sint religiosi præpositi alicui celesti seculari? n.23.
Posset invenies alia summaria.

1 QUintuplex est pertractanda quæstio. Prima est: An religiosi omnes, demptis Franciscanis, possint esse testamentorum executores? Secunda: An Franciscani possint eo munere fungi? Tertia: An executio testamenti, per quoscumque religiosos, etiam Franciscanos, facta absque superioris licentia, valida sit? Quarta: An omnes Franciscani possint esse commissarii ad faciendum testamentum? Ultima: An religiosus testamenti executor, possit religioni, vel sibi applicare aliquid ex iis, quæ inter pauperes distribuere jussus est?

2 Quæstio prima. An religiosi omnes, demptis Franciscanis, possint esse testamentorum executores? Prima conclusio sit. Nullus religiosus potest esse executor testamenti, sive ad causas profanas, sive ad pias, absque obtenta superioris licentia. Constat ex *c.2. de testam. in 6.* ibi *Religiosus executor ab aliquo in sua ultima voluntate deputatus, non potest, cùm velle, vel nolle non habeat, hujusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi à superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta.* Idem omninò habetur *Clement. unic. de testam.* Posita autem est in hac prohibitione utræque illius distinctionis pars, *suscipere, vel exequi*, ut benè animadvertunt *Joan. Andr. eo c.2. n.1. & ibi Dominicus in princ. n.1.* quia poset aliquis credere, non licere suscipere: at post id officium susceptum, licere exequi, cùm multa fieri prohibeantur, quæ tamen semel facta tenent. Ut igitur intelligant religiosi non tantùm sibi interdici susceptionem hujus muneris absque superioris licentia, verùm etiam illius absque dicta licentia suscepti executionem, addita est utraque illius distinctionis particula; unde non solius testamenti, sed cujuscumque ultimæ voluntatis prohibetur religiosus absque licentia superioris executor esse, sive ea codicillus, sive donatio causa mortis, sive epistola sit. Ratio est, quia uterque textus indistinctè loquitur de ultima voluntate, sub qua hæc omnia comprehenduntur. Atque ita docent, allegato Zenzelino, *Glossa ea Clement. unica verb. cujuslibet in addit. & ibi Card. n. 2. Imola num. 6.*

3 Hinc deducitur, minus verum esse, quod tradit *Navarr. lib.3. de restit. c.1. par.3. in nova edit. dub.1. n.167.* ubi ait regulares posse esse testamenti executores, nisi eis specialiter fuæ religionis instituto interdictum sit, ac religiosos Societatis JESU solis suis constitutionibus arceri, ne id munus obeant. Constat enim ex dictis *num. precedenti*, jure communi omnibus religiosis id munus interdictum esse: ac proinde non est verum, solis suis constitutionibus id interdici religioso Societatis JESU, nec etiam est verum, reliquis religiosis, præter Franciscanos, id esse licitum, nisi suis constitutionibus prohibeatur.

4 Temperanda tamen est conclusio, ut intelligatur de religiosis claustralibus; qui enim extra claustra sunt, ut beneficiis perpetuis præsint, possunt absque superioris licentia munus hoc obire. Quia hujusmodi religiosi non sunt sub Abbatis obedientia, ut probavimus *hoc lib. c.6. n.36.* ac proinde cessat in eis ratio prohibitionis tradita *cap.2. de testam. in 6.* nempe, quia non habent velle, & nolle. Et ita docent *Glossa ibi in princ. verb. religiosus, & ibi Francus n.5. Dominicus nu.6. Glossa Clem. unic. verb. quod utique de testamentis, & ibi Card. in 3. notab.5. Abbas ibi n.3. Bonifacius n.16. Gregor. Lop. l.2. verbo frayles tit.10. Fulvius Pacianus cons.161. numero 181. tomo 1.*

5 Secundò, temperanda est, nisi sit ipse religionis superior, etiam conventualis, is enim potest absque alicujus sui superioris licentia hoc munus obire. Quia cùm hi superiores possint aliis religiosis facultatem concedere hujus muneris obeundi, ut dicemus *n.15.* possunt quoque ipsi eo munere fungi. Quia integrum eis est, uti omnibus facultatibus, quas aliis concedere possunt, ut probavimus *libro 8. de matrim. disp. 3. num.1.* Atque ita docent *Paulus cons. 13. n.1. vol.1. Jacobus à Canib. tract. de executoribus ultimæ voluntatis, part.1. n.35. & 36.* habetur *tom.8. tract. p.1. Rosel. verb. religio 1. nu.10. Sylvest. verb. testam. 2. 2. qu.2. dicto 1. Tabiena verb. executor. q.1. n.2. Mol. tom.1. de just. disput.247. col. penult. Manuel qq. reg. tom.3. q.70. nu.1.* quamvis immeritò contrarium dixerint *Card. Clem. unic. not.5. n.7. de testam.* & ibi Bonifacius, *num.55.* ducti, quia hi superiores habent, à quibus licentiam petant. Sed hæc ratio non obstat; quia cum ipsi possint subditis facultatem hujus munoris suscipiendi concedere, nulla alia eorum superioris facultate obtenta, possunt quoque ea licentia secum uti. Quod tamen intelligendum est, nisi aliud in ejus religionis consuetudinibus cautum sit, aut superioris præcepto interdictum, tunc enim non possent secum hac facultate uti, ut benè temperant *Molina, & Manuel ibidem*: unde si contra earum constitutionum, aut superioris præcriptum superior immediatus hoc munus obiret, nulla superioris licentia impetrata, peccaret contra solas constitutiones, & id præceptum. An verò etiam contra jus commune, dicemus, *numero 18. in fine.*

6 Hinc deducitur, qualiter verum sit, quod tradit *Paulus eo cons.13. n.1. volum.1.* ubi ait, posse hoc executoris munus suscipere Priorem conventualem missum extra monasterium ad regendum aliquem fratrum conventum, etsi pro libito Abbatis possit removeri. Idem *Fulvius Pacianus cons.162. n.183. & duplici sequenti.* Quod satis dubium esse, ait *Gregor. Lop. l.2. verbo frayles tit.10. p.6.* Sed id verum est, si re vera constituatur ille ejus conventus Prælatus, qui hanc licentiam subditis concedere possit, nec aliquo superioris, aut constitutionis regularis præcepto sibi interdiceretur, ea facultate uti, juxta tradita *nu. prec.* Nec posse ad nutum Abbatis removeri, id tollit, quoniam dum non removetur, est legitimus Prælatus.

7 Secunda conclusio. Quicumque religiosus, demptis Franciscanis de observantia, potest licentia sui superioris obtenta munus hoc executoris testamenti obire. Constat, quia *c.2. de testam. in 6. & Clem. unic. eod. tit.* solùm interdicitur id munus non obtenta superioris licentia, nec ibi aliqui religiosi excipiuntur; nec alio jure aliqua aliorum religiolorum exceptio traditur præter Franciscanos de observantia, de quibus dicemus *n.24.*

8 Hæc conclusio dupliciter ab aliquibus temperatur. Prius, ut intelligatur, quando religiosus ille executor esset testamenti, quo ad sola legata pia: nam ad profana nequiret esse ex superioris licentia, quod indecens sit, ac prohibitum *cap.2. de postulando*, religiosum sæcularibus negotiis intermisceri. Sic temperant aliqui, quos tacito nomine refert *Card. Clem. unic. n.10. q.2. de testam.* Cæterùm, hac limitatione rejecta, dicendum est, ad utraque legata exequenda posse religiosum ex superioris licentia constitui testamentarium, tum quòd textus allegati indistinctè loquantur de executione testamenti, eam solam absque superioris licentia prohibentes: tum etiam, quia religiosus ea legata profana exequens, non se negotiis sæcularibus immiscet, sed valde pius, quia in exequenda defuncti voluntate pietas semper maximè versatur. Et ita tradunt *Card. ibi, & Imola eadem Clem. n.10. & ibi Bonifac. num.71. Francus c.2. in princ. n.1. de testam. in 6. Div. Anton. 3. part. titul. 10. cap.3. §.9. notabili 7. Jacobus à Canibus tractatu de executoribus ultimæ voluntatis, partic.1. numero 31.* habetur *tomo octavo, tract. parte prima.*

9 Posterius temperatur, dummodo executio illa cedat in monasterii utilitatem; si enim non cedat, minimè sufficit licentia superioris. Hujus sententiæ videntur esse clarè *Archid. cap. monachi, el 2. numero primo 16. quæst. prima, & ibi Bellamer. statim in princ.* dicunt enim interdicti religiosis hoc munere fungi, *cap. ex parte postulando*, qui quidem textus, ut munus in eo prohibitum liceat religiosis, petit superioris licentiam, ac monasterii utilitatem simul concurrere.